MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80514-24

AUTHOR:

UEBERT, TH.

TITLE:

DE CICERONE IN GYM-
NASIIS CUM UTILITATE..

PLACE:

CREFELD

DATE:

[1877]

Master Negative #

92-80514-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CD
Z8
v.2

Uebert, Th

...De Cicerone in gymnasiis cum utilitate legendo... Crefeld, Kramer, [1877]

11 p. 25½ cm.

Academic program.

Vol. of theses.

404910

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/27/92
INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

9473 Doubl

Höhere Bürgerschule und Progymnasium

zu Crefeld. no. 10

(Designirtes Gymnasium.)

Programm,

durch welches zur

öffentlichen Prüfung

Montag den 26. und Dinstag den 27. März 1877

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

Dr. M. Wollseiffen,

Rector.

Inhalt:

Crefeld.

Druck von Kramer & Baum.

1877. Progr. Nr. 397.

A.

De Cicerone in gymnasiis cum utilitate legendo.

Omnium artium, quibus animus puerilis per tot saeculorum spatium conformatur atque excolitur, linguam latinam primum semper in gymnasiis obtinuisse locum non minus notum est, quam Ciceronem eum esse scriptorem, quo qui linguae illius elegantiam et ipsi discere et aliis impertire vellent, imprimis auctore sint usi. Qui quidem linguae latinae principatus utrum iustus sit ac debitus, ne hoc quidem tempore multis dubium esse puto, cum tot tantaeque eius virtutes sint, ut aliam disciplinam eamque praestantiorem vix reperias. Sed illud fortasse quaeritur, qui fieri potuerit, ut unus homo tot saeculorum decursu tam insolitum singularemque principatum teneret. Mommsenius quidem, clarissimus rerum Romanarum scriptor, cum Julium Caesarem divinis fere honoribus afficiat, aureum illud Taciti „sine ira et studio" non curans acerbissimum de Cicerone facit iudicium, irae fastidiique plenum. [1]) Quod si omnibus probaretur, fieri non posset, quin insignis ille orator Romanus in summam nobis contemptionem veniret. At longe secus est. Quamquam ne nos quidem negamus, multa eorum, quae vir doctissimus Ciceroni obicit, esse vera; nos quoque aperte dicimus, eas res, quas consul gessit, non dignas esse laudibus quibus ipsius exemplo vulgo efferuntur; nos quoque concedimus, mira eum iactantia et ostentatione fuisse, [2]) neque ignoramus, in partium illius aetatis contentionibus ac studiis animum eius incertum dubiumque huc illuc fluctuasse; carebat enim iis virtutibus, quae Romanorum propriae feruntur, gravitate, fortitudine, constantia. Secundis rebus insolescebat, adversis nimio luctu opressus

[1]) Cf. R. G. III. p. 619 (ed. VI.): Als Staatsmann ohne Einsicht, Ansicht und Absicht, hat er nacheinander als Demokrat, als Aristokrat und als Werkzeug der Monarchen figurirt und ist nie mehr gewesen, als ein kurzsichtiger Egoist. Wo er zu handeln schien, waren die Fragen, auf die es ankam, regelmässig eben abgethan: so trat er im Prozesse des Verres gegen die Senatsgerichte auf, als sie bereits beseitigt waren; so schwieg er bei der Verhandlung über das gabinische und verfocht das manilische Gesetz; so polterte er gegen Catilina, als dessen Abgang bereits feststand, und so weiter. Gegen Scheinangriffe war er gewaltig und Mauern von Pappe hat er viele mit Geprassel eingerannt: eine ernstliche Sache ist nie, weder im Guten noch im Bösen, durch ihn entschieden worden und vor allem die Hinrichtung der Catilinarier hat er weit mehr geschehen lassen als selber bewirkt. . . . . auf seiner Stilistik ruht seine Bedeutung und allein als Stilist auch zeigt er ein sicheres Selbstgefühl. Als Schriftsteller dagegen steht er vollkommen eben so tief wie als Staatsmann. Er hat in den mannichfaltigsten Aufgaben sich versucht, in unendlichen Hexametern Marius' Gross- und seine eigenen Kleinthaten besungen, mit seinen Reden den Demosthenes, mit seinen philosophischen Gesprächen den Platon aus dem Felde geschlagen und nur die Zeit hat ihm gefehlt um auch den Thucydides zu überwinden. Er war in der That so durchaus Pfuscher, dass es ziemlich einerlei war, welchen Acker er pflügte e. q. s.

[2]) Orat. post reditum ad Quirites VII. 17: Audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium, L. Gelli, qui, quia suam classem attemptatam magno cum suo periculo paene sensit, dixit in contione vestra, si ego consul, cum fui, non fuissem, rem publicam funditus interituram fuisse.

Cf. or. p. r. in s. XI. 28. XIV. 34.

iacebat. [3]) Huiuscemodi vitia, quae negare neque possumus neque volumus, efficiunt, ut Ciceronem ab hominis perfecti specie ac forma aliquantum abesse dicamus. Ita nos iudicare cum historiae fides et veritas cogat, tamen tantum abest, ut Cicero nobis contemptui fastidioque sit, ut Terentiani illius memores simus, Homo sum, nil humani a me alienum puto. Neque enim omnes in civitate ita possunt excellere, ut nihil iis humani vitii adhaereat, et is homo merito nobis probatur, qui suo in republica officii munere pro parte virili fungatur. Atque hoc de Cicerone iure nobis praedicare posse videmur. Ac primum quidem illud non parvi aestimandum videtur, quod populus Romanus summos deinceps rei publicae honores, quamquam homo novus erat, ad eum detulit, quod certe factum non esset, si homo tam parvus exiguusque fuisset quam Mommsenius eum fuisse fingit. At enim norant Romani Ciceronis ingenii facultatem morumque integritatem eumque in administrandis rei publicae muneribus talem futurum confidebant, qualem causidicus se praestitisset. Nec usquam scriptum reperimus, Ciceronem aut neglegentia aut mala fide cives suos illa spe frustratum esse. Immo omnia quae ageret ad rem publicam pertinere ratus, cum non suis tantum commodis consuleret, sed communem omnium salutem potiorem duceret, sic se gessit in vita publica, ut omnibus bonis ob insignem patriae amorem probaretur. Nam quod ipse dicit, [4]) „Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt,“ equidem his verbis Ciceronem intimum suum ac verissimum animi sensum aperuisse arbitror, neque est cur virum eum patriae amantissimum fuisse negemus. Qui si mortem pro patria non oppetiit, at certe nactus est eamque tristissimam, quae facere possit, ut multa ei condonemus. Cum insigni hoc patriae amore alias virtutes, quae hominem ornant, coniunctas fuisse nemo est qui ignoret. Omitto commemorare, quanta in eo aequitas et iustitia fuerit, non dicam, Siculos, a Verre turpissime direptos ac vexatos, ad Ciceronis fidem confugisse, denique non exponam, innocentes oppressos Ciceronem vel contra potentissimorum adversariorum insidias impigrum semper fidumque patronum habuisse: quod maius est, ut illis quidem temporibus, afferre placet, singularem innocentiam, mores incorruptos, animum simplicem et candidum vereque humanum. His igitur virtutibus Ciceronem ex saeculi illius sordibus colluvieque eminuisse contendo. Sed iam ab homine publico transeamus ad privatum. Statim ab ineunte aetate summo is literarum studio ferebatur neque quidquam antiquius habebat, quam ut omni genere doctrinae erudiretur. Atque etiam postea, cum maxima iam eloquentiae laude floreret, omne tempus, quod a negotiis publicis vacuum esset, ita artium liberalium studio tribuebat, ut, quae ipse nova invenisset excogitassetque, literis mandaret. Tali modo permulti ab eo libri concripti sunt, quibus non solum de Romanis sed etiam de posteris optime est meritus. Etenim Cicero, cum summus dicendi artifex esset, eam primus linguae latinae formam effinxit, qua postea omnes homines docti, qui quidem eleganter dicere vel scribere vellent, exemplo sunt usi. Atque hac orationis elegantia factum

[3]) Epist. ad Q. fr. III.: ego te videre noluerim? immo vero me a te videri nolui: non enim vidisses fratrem tuum, non eum, quem reliqueras, non eum, quem noras, non eum, quem flens flentem prosequentem proficiscens dimiseras: ne vestigium quidem eius nec simulacrum, sed quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses aut audisses! — . . . . . Nam quod ad te pueri sine litteris venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiam causam, certe pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrimarum et dolorum. Haec ipsa me quo fletu putas scripsisse?

[4]) De off. I. 17.

est, ut omnium scriptorum Romanorum, qui in gymnasiis leguntur, Cicero primum semper locum obtinuerit hodieque obtineat. At enim erunt, qui iure id factum esse vel fieri negent, quoniam tot tantaque in libris eius vitia sint, ut a perfecti scriptoris specie ac forma mirum quantum absit. Hisce ego obtrectatoribus Quintiliani, summi illius linguae existimatoris, verba oppono dicentis, [5]) „Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum et nonnumquam fatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus videatur. Summi enim sunt, homines tamen, acciditque iis, qui, quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur — id enim est facilius — ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Modeste tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne — quod plerisque accidit — damnent, quae non intellegunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam multa displicere maluerim.“ Haec Quintilianus. Idem tamen non dubitat haec de Cicerone praedicare, „Mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero, quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias — ut ait Pindarus — aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? ut ipsa illa quae extorquet, impetrare eum credas, et, cum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat, nec advocati studium, sed testis aut iudicis afferat fidem. Cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio prae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum; ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.“ — His verbis cum nimiam Ciceronis laudem contineri appareat, tamen hoc constat, ex omni numero scriptorum Romanorum nullum alium reperiri, qui orationis elegantia et copia aptaque et quasi rotunda verborum structura cum Cicerone possit conferri. Quam ob rem eius libri praecipue idonei sunt, qui in gymnasiis legantur. Perfecta enim orationis forma et concinnitas efficit, ut animi discipulorum, id quod magni momenti est, formae pulchritudinisque sensu imbuantur. Sed cum omnes discipulorum ingenii vires maximeque cogitationis pariter exercendae excolendaeque sint, quaeritur, num Ciceronis magna verborum ubertas et copia, quae non potest negari, hac in re apta sit. Nam interdum ille tam verbosus est, ut difficile sit, ex tanta vocabulorum congerie aptam aliquam sententiam enucleare. Accedit, quod sententiae multis locis minus apte inter se cohaerent, cum soli formae intentus artis logicae praecepta non curat. Quae ita esse cum facere non possim quin concedam, tamen scriptorem, de quo agimus, cum utilitate legi posse arbitror nec vereor, ne quid inde detrimenti in adulescentulos redundet. Ac primum quidem ipsa illa orationis ubertas et copia eiusmodi mihi esse videtur, qua animus imprimis agitetur atque exerceatur. Nam cum linguae latinae alia ac nostrae forma condicioque sit, praesertim in

[5]) Inst orat. X. 1.

scriptore verboso luctatio quaedam exsistat necesse est, ut omnia et singula recte vertantur. Qua quidem exercitatione cum animo excolendo tum sermoni patrio egregrie consuli persuasum habeo. Porro cum nullus sriptor vitiis careat, ne Ciceronis quidem vitia aut mira sunt, aut ea, ob quae omnis omnino eius lectio omittenda sit. Immo ipsa illa quae arguuntur vitia ita mihi comparata esse videntur, ut ad excitandam cogitationem maxime accommodata sint. Neque enim quemquam tam caecum Ciceronis admiratorem esse puto, ut, si quid illa perverse vel minus accurate dicat nimia ductus pietate aut silentio transeat, aut praeclare id dictum esse contendat. Iam illa vitia quomodo in usum discipulorum converti possint, paucis exemplis adumbrabimus.

Quaerentibus igitur, num primam ille dicendi scribendique legem, ne quis ea argumenti divisione utatur, qua singulae partes non satis accurate disiungantur, ubique secutus sit, plures nobis loci sunt obvii, quibus Cicero hac in re paulo neglegentior fuisse arguitur. Nam in libello omnium elegantissimo maximeque venusto ac suavi, de senectute qui inscribitur, quo optimus quisque sive adulescens sive vir sive senex ob sententiarum gravitatem ac praestantiam mirum in modum delectatur, haec argumenti partitio proponitur, [6]) „Etenim cum complector animo, quattuor reperio causas, cur senectus misera videatur, unam, quod avocet a rebus gerendis, alteram, quod corpus faciat infirmius, tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam, quod haud procul absit a morte.“ Haec argumenti divisio quam falsa sit, manifestum est; nam singulas partes, quas certis finibus seiungendas esse diximus, quodam, ut ita dicam, affinitatis vinculo inter se cohaerere vel discipulus intellegit. Vel discipulus rogatus, qua tandem re senectus a rebus gerendis avocet, non dubitabit dicere, infirmitate corporis. Iam vero si corpus senectute infirmius fit, sequitur, ut ne voluptatibus quidem senex satis commode frui possit. Denique quae potest omnino in senectute voluptas esse, cum mors omnibus horis impendeat?

Aliud falsae argumenti divisionis exemplum in oratione pro lege Manilia sive de imperio Gn. Pompei legitur, [7]) „Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum.“ Et in genere belli exponendo ita orator versatur, ut bellum necessarium esse demonstret. Quasi vero magnitudo belli, de qua secundo loco agit, non ad genus pertineat. Tales igitur partitiones magis forma speciosae, quam ad cogitationis severitatem exactae sunt. Etiam in eo libello, qui praeter ceteros praeclaris sententiis abundat, Laelium dico sive de amicitia, acrem et severam argumenti divisionem frustra quaeras.

Atque etiam in singularum argumenti partium expositione haud raro stricta et severa divisio desideratur. Quam in rem eum locum affero, qui est de voluptatibus. [8]) Ibi Cato ad refutandam vituperationem senectutis, quod ea voluptatibus careat, ita versatur, ut primum magnam senectuti gratiam dicat esse habendam, si quidem id auferat, quod adulescentibus summae saepe perniciei sit; neque enim quidquam vitiosius fingi posse corporis voluptate, quae ad turpissima quaeque facinora impellat; qua si quis immodice fruatur, fieri non posse, quin et corpus et animus consenescat. Iniuria igitur philosophum quendam Athenis dicere, omnia ad voluptatem esse referenda. Immo altiora homini petenda esse; esse profecto aliquid natura pulchrum atque praeclarum, quod sua sponte petatur quodque spreta et contempta voluptate optimus quisque sequatur. Hac mente P. Decium pro re publica se devovisse. Ergo non modo

[6]) V. 15.
[7]) II. 6.
[8]) De sen. XII.

vituperationem nullam, sed etiam summam laudem senectutis esse, quod ea voluptates non magno opere desideret. At non recte dici, senectatem voluptatibus frui non posse. Etiam senes modicis conviviis delectari posse, in quo Cato et Duili et suum ipsius exemplum affert. Neque vero conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis quam animi, i. e. coetu amicorum et sermonibus esse metiendam. Nam animi voluptatem imprimis homine dignam esse maximeque eam, quae ex bonarum artium studio percipiatur. Hactenus quidem Cato de re proposita non male disserere videtur; in iis autem, quae sequuntur, minus accurata rerum divisione usus est. Sunt autem haec eius verba, „Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius. Videbamus in studio dimetiendi paene caeli atque terrae C. Galum, familiarem patris tui, Scipio; quotiens illum lux noctu aliquid describere ingressum, quotiens nox oppressit, cum mane coepisset! Quam delectabat eum defectiones solis et lunae multo ante nobis praedicere! Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius! quam Truculento Plautus, quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium, qui cum sex annis ante quam ego natus sum, fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adulescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licini Crassi et pontificii et civilis iuris studio loquar aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes videmus. M. vero Cethegum, quem recte Suadae medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem!“

Hanc artium dispositionem iure mireris. Nam in primo loco astrologia ponitur, sequuntur leviora studia, i. e. poesis, tum iuris prudentia, denique eloquentia. Iis igitur artibus, quae cum ad usum vitae pertinerent, Romanis erant plurimi, interposita est poesis, quae in leviorum apud eos numero studiorum habebatur. Iam seorsum a ceteris voluptatibus Cato copiosius voluptates agricolarum persequitur; qui locus cum per se nitidissimus sit, tamen haud scio, an severae exactaeque rerum dispositioni parum respondeat. Quibus de rebus cur Cato tam multa verba faciat, possumus quidem intellegere, cum ipse summo agri colendi studio incensus fuisse dicatur; attamen rectius hac eum argumenti divisione usurum fuisse puto, Possunt senes voluptatibus frui neque solum corporis, sed etiam animi. Animi autem voluptates percipiuntur primum ex rerum naturae contemplatione, ad quam vita rustica maxime invitat, deinde ex artium literarumque studio. Denique ea senibus voluptas suppetit, qua adulescentes plerumque carent, auctoritatem dico, quae quidem senectuti fundamentis adulescentiae constitutae pluris est quam omnia illius aetatis oblectamenta.

Porro cum illud quoque a bono scriptore requiratur, ut singulas libri partes, quoad fieri possit, eadem diligentia persequatur neve aliam paucis verbis exponat, pluribus aliam, hac in re quomodo Cicero versatus sit videamus. Atque in Catone quidem Maiore, cuius quandam iam familiaritatem iniimus, exordium quattuor capitibus continetur — nam caput primum praefationis quae dicitur loco est — iam quattuor partes disputationis ita Cicero persequitur, ut prima et secunda ternis, tertia septem, quarta quinque capitibus absolvatur. Quam partium inaequalitatem equidem Ciceroni nequaquam vitio verterim; neque enim scriptorem in tam angustos fines coartandum esse censeo, ut singula quasi vocabula ei numeranda sint; immo pro rerum, quae exponuntur, magnitudine alias pluribus, alias paucis opus est verbis. Sed quod idem extremam partem libri sive epilogum hisce verbis absolvit, „Haec habui de senectute quae dicerem; ad quam utinam perveniatis, ut, quae ex me audistis, re experti probare

possitis,“ equidem neminem fore arbitror, qui aequo id animo ferat; nimirum haec maior est brevitas, quam quae exordio respondeat. [9]) Etiam illa lex scriptori diligenter observanda est, ne quid dicat, quod a re proposita alienum sit. Quam legem a Cicerone violatam esse videbimus haec legentes,[10]) „Melius Caecilius de sene alteri saeculo prospiciente quam illud idem,

Edepol senectus, si nil quidquam aliud viti
Adportes tecum, cum advenis, unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non volt, videt.

Et multa fortasse, quae volt. Atque in ea quidem, quae non volt, saepe etiam adulescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius,

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire ea aetate esse se odiosum alteri.

Iucundum potius quam odiosum. Ut enim adulescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur leviorque fit senectus eorum, qui a iuventute coluntur et diliguntur, sic adulescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur, nec minus intellego me vobis, quam mihi vos esse iucundos.“ Haec omnia ab re aliena esse apparet; neque tamen ob eam rem Cicero magnopere vituperandus videtur. Cato enim loquitur, qui, quae senum natura est, postquam ad refutandum senectutis crimen, a rebus gerendis quod avocet, Caecili Stati sententiam attulit, facere non potest, quin duas alias eiusdem poetae sententias haud aeque probandas afferat. [11])

Iam ad eos locos transeamus, qui singularum sententiarum miram quandam dicendi neglegentiam exhibent, velut in oratione de imperio Gn. Pompei, ubi haec scripta sunt, „Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum, non esse ita magnum, ut sit pertimescendum.“ Verba: „belli genus esse ita necessarium“ quam perverse sint dicta apparet, nam non genus belli, sed bellum genere suo necessarium est. Eadem neglegentia in hisce verbis inest, „In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tamquam deum sequimur eique paremus; a qua non veri simile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum tamquam ab inerti poeta esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquod extremum et tamquam in arborum bacis terraeque fructibus maturitate tempestiva quasi vietum et caducum; quod ferendum est molliter sapienti. Quid est enim aliud Gigantum modo bellare cum diis, nisi naturae repugnare?“ Extremo hoc loco mira scriptor verborum inversione usus est. Sententiarum ordo est hic, quod naturae necessitate evenit, id molliter sapienti ferendum est; id si moleste fert, naturae repugnat, quod nihil aliud est, nisi Gigantum modo cum diis bellare. Sic ergo dicendum erat, „Quid est enim aliud naturae repugnare nisi Gigantum modo bellare cum diis? [12]) — Insigne eiusdem generis exemplum in oratione pro Sex. Roscio Amerino [13])

[9]) Alia est ratio illius libri, qui Laelius inscribitur, ubi conclusio toto capite XXVII. continetur, quamquam extrema verba, Haec habui de amicitia quae dicerem e. q. s. simillima sunt illis, quae modo laudavimus.

[10]) De sen. VIII.

[11]) Ad eandem causam priscae illae revocandae sunt voces, ut II. 6. quam nobis quoque ingrediundum sit; XIX. 71, quasi poma ex arboribus decidunt; XIX. 72. audaciter, al. Cf. de sen. XVI. 55: Possum persequi permulta oblectamenta rerum rusticarum, sed ea ipsa, quae dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem: nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare.

[12]) De sen. II. 5.

[13]) c. XXVI.

deprehenditur, ubi de parricidii atrocitate orator sic exponit, „Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent Furiae neque consistere umquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, iudices: magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis, ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quem ad modum in fabulis saepe videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserunt, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit, suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent: hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant. Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit, nisi turpis adulescentia, nisi omnibus flagitiis vita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi praerupta audacia, nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternae metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: paene dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri sunt. Quare hoc quo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si convincitur, vindicandum. Itaque cum multis ex rebus intellegi potest, maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re vel maxime, quod in impios singulare supplicium invenerunt.“ Ita Cicero. Cuius loci vim ac dignitatem quis non admiretur? Et tamen magister ex discipulis quaeret, num omnia ita sint dicta, ut cum logice congruant. Haud diu cunctatus discipulus respondebit, sententiarum decursum planum et perspicuum esse usque ad vocabula „itaque cum multis“ e. q. s. Ibi autem vitium latere, neque enim priorem sententiam, „maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse,“ ex iis, quae supra dicta sint, colligi posse, sed coniunctionem „itaque“ ad solam posteriorem sententiam, „quod in impios singulare supplicium invenerunt,“ recte referri posse. Dicendum ergo Ciceroni fuisse, „Itaque maiores nostri in impios singulare supplicium invenerunt, atque cum multis ex rebus, tum ex hac vel maxime intellegi potest, non modo armis eos plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse.“

Cum autem scriptor, de quo agimus, ea potissimum figura utatur, quam grammatici antithesin dicunt, haud raro fit, ut duo membra orationis sibi opposita sint, quorum alterum alteri subiungendum erat. Exempla rem illustrabunt. Nitidissimae illius orationis, cuius iam supra mentionem fecimus, de imperio Gn. Pompei, hoc est initium, „Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas adhuc, sed vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Nam cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci attingere auderem statueremque, nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus umquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent, et meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum propter

dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis.“ Hoc loco particula „ita“ cum duobus membris coniuncta est, quae sui quodque, ut ita dicam, iuris sunt, cum re ipsa ad posterius tantum pertineat, cui prius subiungendum erat. Sic vertas, So ist, ohne dass es an dieser Stätte jemals an Verfechtern euerer Interessen gefehlt hätte, vel So ist, während es an dieser Stätte niemals an Verfechtern euerer Interessen gefehlt hat, meiner Thätigkeit der herrlichste Lohn zu Theil geworden. Iam ipsa ea quae subiiciuntur, „Nam cum propter dilationem comitiorum“ e. q. s. ab accurate distincteque dicendi norma discrepant; neque enim illud, quod, quid Romani de se iudicarent et quid aliis praescriberent, intellexit, amplissimus ille fructus est, sed quod ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus erat. Hoc igitur non sententiae secundariae forma exprimendum erat, sed hunc in modum, Nam propter dilationem comitiorum tèr praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, ex quo facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis, et quid aliis praescriberetis. Orta est haec forma magno quodam periodorum studio, quarum Cicero amantissimum esse constat. Quod studium cum per se laudabile sit, tamen in vitium abit, si formae potius venustas, quam vis sententiarum respicitur. Sed ad antithesin revertamur. Simile egregiae neglegentiae exemplum in eadem oratione hoc est, „Quid? quod salus sociorum in summum periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere sine summo periculo posse arbitrantur.“ Hoc loco duo membra particulis neque — neque sibi opposita esse iure mireris. Cur enim, quaeris, 'socii certum ab Romanis imperatorem deposcere non audent? Utrum nimia verecundia ac modestia, an quod metuunt, ne a Glabrione — hunc enim miserant Romani — summum sibi periculum impendeat? Oratio, credo, omnino plana esset, si haec legeremus, imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, non audent, quod sine summo id periculo se facere non posse arbitrantur. — Quid? quod adeo huius figurae Cicero studiosus est, ut interdum grammaticae rationem parum severe curet? Quam in rem celeberrimum Milonianae locum affero, [14]) „Est igitur haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim et in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis; silent enim leges inter arma nec se exspectari iubent, cum ei, qui exspectare velit, anta iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda.“ Hic vocabula „ad quam“ cum quattuor participiis coniuncta videmus, quorum unum tantum — facti — in illa quadrat, duo sensu praegnanti, ut grammatici loquuntur, dicta sunt — ad quam non doctrina vel institutione ducti sumus — ultimum ablativum requirit — qua imbuti sumus —. Ad servandam igitur orationis concinnitatem Cicero hac forma usus est, quam specie pulcherrimam esse nemo negabit. Eandem dictionis neglegentiam in hisce deprehendimus, [15]) „Cumque homini sive natura sive quis deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum

[14]) Orat. pro Mil. IV. 10.

[15]) De sen. XII. 40.

quam voluptatem.“ Pestiferos voluptatis fructus enarrans non minimum eum esse dicit, quod menti illa maxime inimica sit. Parum accurate haec dicta esse primo obtutu intellegitur; neque enim voluptas idcirco menti inimicissima est, quod nihil ea praestabilius homini est datum. Sic igitur, verum si quaerimus, dicendum erat, Menti vero, huic divino muneri ac dono, quo nihil homini sive natura sive quis deus praestabilius dedisset, nihil tam esse inimicum quam voluptatem. — Finitimum huic eiusdem libri locum addere placet, „Quod si quem etiam ista delectant, ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est fortasse quidam naturalis modus, non intellego, ne in istis quidem ipsis voluptatibus carere sensu senectutem.“ [16]) Egregie lapsum esse Ciceronem, quum „non intellego, ne — quidem“ scriberet, non est quod negemus. Aut enim dicendum erat, „non intellego, in istis ipsis voluptatibus carere sensu senectutem“, aut „non ignoro, vel certo scio, ne in istis quidem ipsis voluptatibus carere sensu senectutem.“ Similis cogitandi perversitas in his cernitur, [17]) „Quorsus igitur haec tam multa de Maximo? Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem.“ Sic dici oportebat, „ut videatis, nefas esse dictu,“ e. q. s. [18])

Huiusmodi igitur errores, qui permulti apud Ciceronem sunt obvii, tantum mihi abesse videtur ut fraudi sint discipulis, ut egregia inde animorum exercitatio possit repeti. Quocirca summum dicendi artificem, quem per tot saecula amicum habuerunt scholae, et ipsi carum habere pergamus eiusque exemplo usi patriam summo studio amplectamur atque a nefariis hominum impiorum consiliis pro suis quisque viribus tueamur.

[16]) De sen. XIV. 46.

[17]) De sen. V. 13.

[18]) Rectius de sen. XII. 42. dicit, Quorsus hoc? ut intellegeretis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam esse habendam senectuti gratiam, quae efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret, et XIII. 44. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magno opere desiderat.

B.

Schulnachrichten.

A. Curatorium und Lehrer-Collegium des berechtigten Progymnasiums und der Bürgerschule.

I. Curatorium.

Herr Oberbürgermeister Reg.-Rath **Roos.**
„ Beigeordneter **Casaretto.**
„ Stadtverordneter **E. de Greiff.**
„ „ **Jentges.**
„ „ **Dr. Meller.**
„ „ **C. Zohlen.**
Der Rector.

II. Lehrer-Collegium.

Dr. M. Wollseiffen, Rector.
Dr. L. Boening, Oberlehrer.
Dr. Th. Uebert, Oberlehrer.
Dr. E. Erich, ordentl. Lehrer.
W. Stelkens, „ „
Ph. König, ordentl. Lehrer und katholischer Religionslehrer.
Dr. C. Isenkrahe, ordentl. Lehrer.
Dr. J. Dickmann, „ „
L. Auffenberg, „ „
Dr. A. Backhaus, „ „
P. Wreden, technischer Lehrer.
Pfarrer **Fay,** evangelischer Religionslehrer.
Th. Brands, Lehrer der Vorschule.
E. Wolters, „ „ „

B. Lehrplan für das Schuljahr 1876—77.

I. Progymnasium.

Unter-Prima.

Ordinarius: Der Rector.

Religionslehre: a. evang.: Kirchengeschichte von der Stiftung der christlichen Kirche an bis auf die Reformation im Anschlusse an „Hollenberg's Hilfsbuch“ für den evang. Religionsunterricht an Gymnasien, §. 92—124. Im Grundtexte gelesen: Ausgewählte Stücke aus der Apostelgeschichte: die Bergpredigt Matth. 5—7; die Gleichnisse Matth. 13; die Weihnachtsgeschichte Luc. 2, 1—20; die Parabeln Luc. 15 und der Brief des Apostels Paulus an die Philipper. 2 Stunden. Pfarrer Fay.

b. kath.: Fortsetzung der Kirchengeschichte. Die Lehre von der Kirche. Wiederholungen aus dem allgemeinen Theile der apostolischen Glaubenslehre, sowie aus andern Gebieten der Religionslehre. 2 Stunden. König.

Deutsch: Literaturkunde der ältesten Zeit bis Opitz. Elemente der alt- und mittel-hochdeutschen Grammatik. Lectüre ausgewählter Stellen aus dem Nibelungenlied und einzelner Gedichte Walther's von der Vogelweide. Schiller's „Wallenstein“ nebst Erörterungen über das Drama. Vorträge im Anschlusse an die Lectüre. Dispositions-Uebungen und Aufsätze. 3 Stunden. Dr. Boening.

Latein: Cicero's Tusculanische Untersuchungen I & V. Sallust's Verschwörung Catilina's. Wiederholungen aus Livius XXI. & XXII. Allgemeine stilistische Regeln der lateinischen Sprache (die lateinische Metapher, die Wort- und Satzstellung in der historischen Periode). Sprechübungen an der prosaischen Lectüre und an vorher bearbeiteten historischen Aufgaben. Mündliches Uebersetzen aus Hemmerling und (wöchentl.) ein Pensum oder Extemporale: monatlich ein Aufsatz im Anschluss an die diesjährige oder frühere Classiker-Lectüre. Horaz Oden I & II mit Auswahl und einige Satiren. Memoriren. Metrische Unterweisungen. 8 Stunden. Der Rector.

Griechisch: Platon's Kriton und Apologie des Sokrates, Einleitung und Schluss des Phädon. Grammatische Erörterungen, namentlich über schwierigere Punkte aus der Syntax des Verbums. Mündliche und (alle 14 Tage) schriftl. Uebersetzungen im Anschluss an die Lectüre. Homer's Ilias I.—XII., wovon VII.—IX. cursorisch. Sophokles' Antigone. Prosodische und metrische Unterweisungen. 2 Stunden. Dr. Uebert.

Französisch: Abschluss der Syntax nach Plötz. Uebersetzungen in's Französche aus Plötz' Uebungen. Lectüre von Molière's l'Avare und Delavigne's les enfants d'Edouard. Synonymische Unterweisungen und Versuche im mündlichen Gebrauch der Sprache im Anschluss an die Lectüre. Einiges über den französischen Versbau. Alle 14 Tage ein Pensum oder Extemporale. 2 Stunden. Dr. Böning.

Hebräisch: Leseübungen. Das regelmässige verbum. Das Nomen. Die Suffixa. Die verba gutturalia. Einiges von den unregelmässigen Verben. Uebersetzung ausgewählter Stücke aus der h. Schrift. 2 Stunden. König.

Geschichte und Geographie: Geschichte des Mittelalters nach Pütz' Grundriss. Wiederholungen aus der alten Geschichte und aus der Geographie. 3 Stunden. Der Rector.

Mathematik: Stereometrie. Repetitionsaufgaben aus der Planimetrie und Trigonometrie. Schwierigere Gleichungen des zweiten Grades mit einer und mehreren Unbekannten. Gleichungen höheren Grades. Reihen. Zinseszins- und Rentenrechnung. 4 Stunden. Dr. Isenkrahe.

Physik: Akustik und Optik. 2 Stunden. Dr. Isenkrahe.

Englisch s. unten.

Secunda.

Ordinarius: Dr. Uebert.

Religionslehre: a. evang.: combinirt mit Prima b.

b. kath.: Kirchengeschichtliche Wiederholungen. Die wichtigsten Abschnitte der Glaubenslehre. 2 Stunden. König.

Deutsch: Die epischen und episch-lyrischen Gattungen der Poesie. Anleitung zur Anfertigung von Aufsätzen und rhetorisch-stilistische Unterweisungen. Lectüre schwierigerer Balladen, lyrisch-didactischer Gedichte und prosaischer Stücke. Schiller's „Wilhelm Tell". Declamationsübungen und Vorträge. Monatlich ein Aufsatz. 2 Stunden. Dr. Backhaus.

Latein: Cicero's „Cato maior" und Livius I. II, 1—20. In Ober-Secunda cursorisch XXII, 39—61. Wiederholung der Syntax des Nomens und des Verbums. Stilistische Unterweisungen über den einfachen und den zusammengesetzten Satz. Retroversionen, phraseologische und synonymische Uebungen. Versuche im Lateinsprechen im Anschlusse an die Lectüre. Mündliche Uebersetzungen aus Hemmerling's Uebungsbuch. Alle 8 Tage ein Pensum oder (abwechselnd) ein Extemporale. Für II a. einige Aufsätze im Anschluss an die Lectüre. 8 Stunden. Dr. Uebert.

Aus Virgil's Aeneis I & II. Memoriren. Prosodische und metrische Unterweisungen. 2 Stunden. Dr. Boening.

Griechisch: Lectüre aus Xenophon's Anabasis I—III. cursorisch V. Wiederholungen aus dem grammatischen Pensum der Tertia und Einübung der Syntax des Nomens nach Buttmann's Grammatik. Die wichtigsten Regeln aus der Syntax des Verbums im Anschluss an die Lectüre. Retroversionen, phraseologische Uebungen. Alle 14 Tage ein Pensum. Homer's Odyssee I, II. V. VI, cursorisch VII. Prosodische und metrische Unterweisungen. Memoriren einzelner Stellen. 6 Stunden. Dr. Uebert.

Französisch: Wiederholung des Pensums der Tertia und weitere Einübung der Grammatik nach Plötz II, 58—70 mit steter Berücksichtigung des lateinischen Sprachgebrauchs: Lectüre ausgewählter Stücke aus Plötz' Manual de la littérature française. Mündliche Uebersetzungen in's Französische. Alle 14 Tage ein Pensum. 2 Stunden. Dr. Boening.

Hebräisch: combinirt mit Unter-Prima.

Geschichte und Geographie: Geschichte der Staaten des Alterthums in Asien und Africa. Geschichte der Griechen, nebst entsprechenden geographischen Wiederholungen. 3 Stunden. Dr. Erich.

Mathematik: Proportionen am Kreise. Rectification und Quadratur des Kreises. Construction algebraischer Ausdrücke. Lösung von planimetrischen Aufgaben. Für Ober-Secunda: Repetition der Trigonometrie und Lösung trigonometrischer Aufgaben. Gleichungen ersten und zweiten Grades mit einer und mehreren Unbekannten unter besonderer Berücksichtigung der Text-Gleichungen. 4 Stunden. Dr. Isenkrahe.

Physik: Einleitung. Allgemeine Eigenschaften der Körper. Statik und Mechanik der festen, flüssigen und luftförmigen Körper. 1 Stunde. Dr. Isenkrahe.

Englisch s. unten.

Tertia.

Ordinarius: Dr. Erich.

Religionslehre: a. evang. Lectüre und Erklärung des Markus-Evangeliums in Luther's Uebersetzung. Die namhaftesten messianischen Weissagungen und die Weihnachtsgeschichte (Luc. 2, 1—20). Uebersicht der Geographie von Palästina. Memoriren und Erklärung von neun Kirchenliedern und vier Psalmen (1, 8, 23, 90). 2 Stunden. Pfarrer Fay.

b. kath. Fortsetzung der Lehre von den Geboten. Die Sakramente im Allgemeinen und einzelne Sakramente im Besonderen. Memoriren und Erklärung kirchlicher Hymnen. König.

Deutsch: Grammatische Unterweisungen über den erweiterten Satz im Anschluss an das Lateinische. Die Lehre von den Tropen und Figuren. Lectüre und Erklärung von leichtern Balladen, von Beschreibungen und Schilderungen. Uebungen im Deklamiren und im Gebrauche der freien Rede im Anschluss an die Lectüre. Beschreibende und geschichtliche (alle 3 Wochen) Aufsätze. 2 Stunden. Dr. Erich.

Latein: Aus Cäsar's gallischem Krieg IV, V und VI und für IIIa Wiederholungen aus den früher gelesenen Büchern. Syntax des Verbums I. Theil. (Tempora, Modi, Conjunctionen bis zum Accusativus cum infinitivo), nach Meiring's Schul-Grammatik. Memoriren, Retroversionen, phraseologische und synonymische Uebungen im Anschlusse an die Lectüre. Alle 8 Tage ein Pensum oder ein Extemporale. 8 Stunden. Dr. Erich.

Aus Ovids Verwandlungen: die Schöpfung, die vier Weltalter, Lycaon, die Fluth, Deucalion und Pyrrha, Phaëton, Heliadas. Memoriren geeigneter Stücke, prosodische und metrische Uebungen. 2 Stunden. Dr. Boening.

Griechisch: Wiederholung der in Quarta behandelten Formenlehre und Einübung der verba liquida, der verba in μι und der unregelmässigen verba. Lectüre aus Xenophons Anabasis I. Die Präpositionen und Adverbien. Mündliche Uebersetzungen der entsprechenden Abschnitte aus Spiess' Uebungsbuch. Memoriren von Vocabeln. Einführung in den Homer durch Erklärung von Odyssee I. v. 1—100 und vorbereitende Mittheilungen über den homerischen Vers und Dialekt. Schriftliche (alle 14 Tage) Uebersetzungen. 8 Stunden. Dr. Erich.

Französisch: Aus Ploetz' Grammatik Abschnitt 1—4. Mündliche Uebersetzungen aus dem Deutschen in's Französische. Lectüre von ausgewählten Abschnitten aus Rollin: Hommes illustres de l'antiquité. Memoriren von Vocabeln. Alle 14 Tage ein Pensum. 2 Stunden. Dr. Dickmann.

Geschichte und Geographie: Monographien aus der deutschen Geschichte der neuern Zeit, namentlich aus der des brandenburgisch-preussischen Staates. Wiederholung der Geographie Deutschlands. 3 Stunden. Stelkens.

Mathematik: Repetition des Quarta-Pensums. Die Kreislehre. Vergleichung des Flächeninhaltes. Verwandlung, Theilung und Ausmessung gradliniger Figuren. Die Sätze über Producte und Quotienten. Division durch Polynome. Einiges aus der Lehre von den Proportionen. Für Ober-Tertia: Lösung leichter Gleichungen des ersten Grades. 4 Stunden. Dr. Isenkrahe.

Naturkunde: Im Sommer Botanik (Repetition der Formenlehre. Die wichtigsten Abschnitte aus der Anatomie und Physiologie der Gewächse. Grundzüge einer natürlichen Systematik). Im Winter eingehende Behandlung der Wirbelthier-Klassen. 2 Stunden. Dr. Isenkrahe.

Quarta.

Ordinarius: Stelkens.

Religionslehre: a. evang. Combinirt mit Tertia.

b. kath. Die Lehre von den Geboten. Einzelne Abschnitte aus der Lehre von den Sakramenten. Wiederholungen aus der Glaubenslehre und der bibl. Geschichte. 2 Stunden. König.

Deutsch: Unterricht und Uebungen über Satzbildung, Wortstellung und Satzverbindung. Lectüre von Gedichten und Aufsätzen aus Linnig's Lesebuch. Alle 3 Wochen eine schriftliche Aufgabe (Zusammenfassung grösserer Abschnitte aus Nepos, Schilderungen und Beschreibungen nach Linnig's Lesebuch, VI. Abth.) 2 Stunden. Stelkens.

Latein: 6 Biographien aus Nepos. Wiederholung der unregelmässigen und defectiven verba. Die Adverbien und Präpositionen; die Syntax des Nomens nach Siberti-Meirings Grammatik. Mündliche Uebersetzungen und (abwechselnd) ein Extemporale. Aus Sibelis tirocinium poëticum I. Abschn. 10 Stunden. Stelkens.

Griechisch: Nomen, Pronomen, regelmässiges Verbum bis zu dem verbum liquidum nach Buttmann's Grammatik. Mündliche Uebersetzungen aus Spiess' Uebungsbuch (I. und II. Curs.). Memoriren von Vocabeln. Schriftliche (alle 14 Tage) Uebersetzungen. 6 Stunden. Stelkens.

Französisch: Wiederholung des Pensums der Quinta. Einübung von Ploetz I, 60—86. Mündliche Uebersetzungen der betreffenden Uebungsstücke. Memoriren von Vocabeln. Alle 14 Tage ein Pensum. 2 Stunden. Dr. Dickmann.

Geschichte und Geographie: Das Wichtigste aus der Geschichte der Griechen bis zum Tode Alexanders des Grossen und aus der der Römer bis zur Zeit der Gracchen. Einzelne Biographien. Geographie von Asien und Amerika. Zeichnen geographischer Bilder. 3 Stunden. Dr. Dickmann.

Mathematik und Rechnen: Wiederholung der Dezimalbrüche, einfache Rechnung mit Prozenten, Zinsrechnung und Vertheilungsrechnung. Einleitendes aus der Geometrie. Von den Winkeln und Parallelen. Gleichheit und Ungleichheit der Linien und Winkel in Dreiecken und Vierecken. Die Elemente der Algebra. 4 Stunden. Wreden.

Quinta.

Ordinarius: Auffenberg.

Religionslehre: a. evang. Ausgewählte Abschnitte aus der bibl. Geschichte, A.-T.-Kirchenlieder. Einige Sonntags-Evangelien. Wochensprüche. Psalmen und Gebete. 3 Stunden. Wolters.

b. kath. Das apostolische Glaubensbekenntniss. Die vier ersten Gebote. Repetitionen aus dem A. T. Die Geschichte des N. T. Biblische Geographie. 3 Stunden. König.

Deutsch: Grammatische Unterweisungen über die Declination und Conjugation im Anschluss an das Lateinische. Die Lehre vom einfach-erweiterten Satze und das Wichtigste über den zusammengesetzten Satz. Lese- und Declamationsübungen. Memoriren von Gedichten und (alle 14 Tage) kleine schriftl. Arbeiten im Anschluss an Linnig's Lesebuch. 2 Stunden. Auffenberg.

Latein: Wiederholung der regelmässigen Declination. Fortsetzung und Abschluss der Formenlehre mit Ausnahme der Lehre von der Wortbildung nach Meiring's Grammatik, verbunden mit mündlichen Uebersetzungen aus Meiring's Uebungsbuch. Wöchentl. ein Pensum oder Extemporale. 10 Stunden. Auffenberg.

Französisch: Regelmässige Formenlehre mit Ausschluss des Verbes nach Ploetz (I. 1—60). Mündliche Uebersetzungen der Uebungsbeispiele. Alle 14 Tage ein Pensum oder Extemporale. 3 Stunden.
Dr. Diekmann.

